STARKE

Starke

Zu der öffentlichen

Prüfung und Redeübung

der Zöglinge

des

Königl. Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums,

welche am

22sten März 1850

veranstaltet werden soll,

ladet ehrerbietigst ein

Dr. Friedrich Gottlob Starke,
Professor und Director, Ritter des rothen Adlerordens vierter Klasse.



Inhalt:

Neu-Ruppin.

Gedruckt in der Gustav Kühnschen Buchdruckerei.

1850.

ARISTOTELIS DE PRINCIPIIS AGENDI EORUMQUE RATIONE SENTENTIA.

SCRIPSIT

F. G. STARKE.

Duo principia agendi posuit Aristoteles, unum, quod in arbitratu hominis situm est, alterum, quod divino quodam numine provisum est ac constitutum. Sed quum quaeritur, quae ratio intercedat inter utrumque principium, tanta est interpretum dissensio, ut non alienum videatur, in hanc rem admodum difficilem paulo accuratius inquirere. Schrader, Collega Gymnasii Brandenburgensis, in eleganti sua dissertatione attigit unum agendi principium, arbitratum hominis, alterum, quo ad recte agendum necessitate quadam impellimur, in definienda voluntatis libertate neglexit. Animadvertit quidem, aliud praeterea principium ab Aristotele postulatum ac significatum esse: at rei expediendae difficultate vel deterritus vel sua de animi humani libertate opinione confisus Aristotelem incusare maluit, quod nodum non solvisset, sed ense secuisset [1]). Zeller in libro de Philosophia graeca ne attigit quidem hanc quaestionem, sed quem dualismum in ceteris philosophiae Aristoteleae partibus deprehendit, eundem esse ait in ea parte, quae ad vitae actionem pertinet [2]). Ac mea quidem sententia nemo recte iudicare poterit de ratione, quam Aristoteles vel in Ethicis vel in Politicis sequitur, nisi mutua illa utriusque principii relatione cognita. Quare hoc quidem loco videamus, quam rationem inter haec duo principia agendi intercedere voluerit Aristoteles. Erit autem haec nostra quaestio tripartita. Etenim primum quaerendum erit de summo bono, in quo unum principium est positum, deinde de consilio, in quo alterum est, denique de utriusque principii relatione.

CAPUT I.

DE SUMMO BONO.

Non dubitat Aristoteles, quin omnes homines ad beate vivendum naturae quodam impetu ferantur. At quum quaeritur, in quo posita sit vita beata, magnam ait esse inter eos controversiam. Etenim alii voluptatem, alii divitias, alii honores, alii denique pro aliis vitae conditionibus, qua utuntur, alia, ut aegroti bonam valetudinem, egeni opulentiam, alii denique

1) Aristotelis de voluntate doctrina. Brandenburg 1847. p. 23, 14, 15.
2) Zeller Philosophie der Griechen. B. 2.

iique eruditi praeter ea, quae commemoravimus bona, aliud, quod quidem per se expetendum iisque omnibus, cur bona sint, causa sit bonum esse censent. Eth. Nicom. I. 4. Atque his quidem, qui voluptatem pro summo bono habent, missis, quaeritur, num in honore, an in virtute, an in divitiis beatitudo sit ponenda. In divitiis conquirendis eam non esse positam ex eo patet, quod divitiae, quum sint in rebus utilibus, non sunt propter se expetendae, honos autem et virtus, quamvis per se expetenda, tamen non possunt haberi pro summo bono. Etenim honores ob virtutem deferuntur, ex quo cognoscitur, virtutem esse maius quiddam honore. Praeterea honos non tam iis, qui eo afficiuntur, bonum est, quam iis, qui eum deferunt. Summum autem bonum proprium est hominis nec pendet ab aliorum hominum arbitrio. Ac ne virtus quidem, quamquam vitae civilis finis esse videtur, poterit haberi pro summo bono. Accidere enim potest, ut, qui virtute praediti sunt, aut nihil omnino agant aut in maximis calamitatibus versentur. Nemo autem homines eius generis beatos praedicabit, nisi qui dictis contentisve perstare velit. Nam etsi vir probus virtute sua vel in rebus adversis utitur, beatus tamen dici non poterit. Eth. Nicom. I. 5. Pol. VII. 13. *Χρήσαιτο δ' ἂν ὁ σπουδαῖος ἀνὴρ καὶ πενίᾳ καὶ νόσῳ καὶ ταῖς ἄλλαις τύχαις ταῖς φαύλαις καλῶς· ἀλλὰ τὸ μακάριον ἐν τοῖς ἐναντίοις ἐστίν.* Deinceps quaerit Aristoteles, num summum bonum universale quiddam sit, quod una idea contineatur, ut Platoni visum est. At bonum, inquit, non potest esse universale ac commune atque unum: nam dicitur in Categoriis genere diversis. Praeterea, quoniam eorum omnium, quae una idea continentur, una scientia est, bona omnia una scientia necesse est comprehendi. Eth. Nicom. I. 6. „*δῆλον ὡς οὐκ ἂν εἴη κοινόν τι καθόλου καὶ ἓν τἀγαθόν. οὐ γὰρ ἂν ἐλέγετο ἐν πάσαις ταῖς κατηγορίαις, ἀλλ' ἐν μιᾷ μόνῃ. Ἔτι δέ, ἐπεὶ τῶν κατὰ μίαν ἰδέαν μία καὶ ἐπιστήμη, καὶ τῶν ἀγαθῶν ἁπάντων ἦν μία τις ἐπιστήμη. νῦν δ' εἰσὶ πολλαὶ καὶ τῶν ὑπὸ μίαν κατηγορίαν.*“ Aristoteles igitur in Platonica boni definitione quam differentiam desiderare videtur, eandem desideravit in virtutis definitione a Platone proposita. Pol. I. 13. „*Ὥστε φανερόν, ὅτι ἔστιν ἠθικὴ ἀρετὴ τῶν εἰρημένων, καὶ οὐχ ἡ αὐτὴ σωφροσύνη γυναικὸς καὶ ἄνδρος, οὐδ' ἀνδρία καὶ δικαιοσύνη, καθάπερ ᾤετο Σωκράτης, ἀλλ' ἡ μὲν ἀρχικὴ ἀνδρία, ἡ δ' ὑπηρετική. ὁμοίως δ' ἔχει καὶ περὶ τὰς ἄλλας. δῆλον δὲ τοῦτο καὶ κατὰ μέρος μᾶλλον ἐπισκοποῦσιν· καθόλου γὰρ οἱ λέγοντες ἐξαπατῶσιν ἑαυτοὺς ὅτι τὸ εὖ ἔχειν τὴν ψυχὴν ἀρετή, ἢ τὸ ὀρθοπραγεῖν, ἤ τι τῶν τοιούτων· πολὺ γὰρ ἄμεινον λέγουσιν οἱ ἐξαριθμοῦντες τὰς ἀρετάς, ὥσπερ Γοργίας, τῶν οὕτως ὁριζομένων.*“ Praeterea haec est Aristotelis sententia, *τὸ καθόλου* per se indefinitum esse nec posse a singulis substantiis seiungi. Nam hoc non poterat negare, summum bonum esse universale quiddam, dixerat enim brevi ante, finem disciplinae politicae comprehendere ceterarum artium fines. Eth. Nicom. I. 2. Qui autem fieri possit, ut una eademque scientia reliquas scientias genere diversas comprehendat, id libris Metaphysicis accuratius expositum est. Illud enim potissimum spectat Aristoteles, ut rerum universalium notiones in vitae humanae societatem traducat. Eth. Nicom. I. 6. „*εἰ γὰρ καὶ ἔστιν ἕν τι τὸ κοινῇ κατηγορούμενον ἀγαθόν, ἢ χωριστόν τι αὐτὸ καθ' αὑτό, δῆλον ὡς*

οὐκ ἂν εἴη πρακτὸν οὐδὲ κτητὸν ἀνθρώπῳ· νῦν δὲ τοιοῦτόν τι ζητεῖται.“ Virtutis igitur norma ac mensura vir probus est, non idea tamquam exemplar proposita. Eth. Nicom. III. 4.

His autem expositis hominumque opinionibus de vita beata examinatis, suam de ea sententiam accuratius explicare aggressus est Aristoteles. Atque, ut sibi viam muniat, duo genera bonorum discernit, unum eorum, quae per se ac propter se expetenda sunt, ut honos, voluptas omnisque virtus, alterum eorum, quae alius rei causa expetamus, ut divitias ceteraque virtutis instrumenta. Sed vel ea bona, quae propter se expetenda videntur, vitae beatae causa expetimus, quippe existimantes, eorum auxilio nos beatos fore, beatitudinem nemo omnino alius rei causa expetit. Hinc concludit, beatitudinem bonum esse absolutissimum. Eth. I. 7. *ταύτην (εὐδαιμονίαν) γὰρ αἱρούμεθα αἰεὶ δι' αὐτήν, καὶ οὐδέποτε δι' ἄλλο· τιμὴν δὲ καὶ ἡδονήν, καὶ νοῦν, καὶ πᾶσαν ἀρετὴν αἱρούμεθα μὲν καὶ δι' αὐτά (μηδενὸς γὰρ ἀποβαίνοντος, ἑλοίμεθ' ἂν ἕκαστον αὐτῶν)· αἱρούμεθα δὲ καὶ τῆς εὐδαιμονίας χάριν, διὰ τούτων ὑπολαμβάνοντες εὐδαιμονήσειν· τὴν δ' εὐδαιμονίαν οὐδεὶς αἱρεῖται τούτων χάριν, οὐδ' ὅλως δι' ἄλλο.* Hoc ut accuratius constituat, de opere sive munere, quod homini natura tributum est, exponit. Inter hominem et beluam hoc maxime interesse ait, quod haec sensu tantum moveatur et in corpore alendo vitam transigat, hominem autem, quum rationis sit particeps, ad vitam rationi consentaneam ac congruentem esse natum. Unde consequitur, ut hominis bonum exsistat animi actus virtuti consentaneus. Eth. Nicom. I. 7. *εἰ δ' οὕτω, τὸ ἀνθρώπινον ἀγαθὸν ψυχῆς ἐνέργεια γίνεται κατ' ἀρετήν· εἰ δὲ πλείους αἱ ἀρεταί, κατὰ τὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην.* —

Atque haec quidem beatitudo, quae hoc loco descripta est, in vitae actione est posita eamque ob causam *εὐπραξία* vocatur. Eth. Nicom. I. 8. *Συνᾴδει δὲ τῷ λόγῳ καὶ τὸ εὖ ζῆν καὶ τὸ εὖ πράττειν τὸν εὐδαίμονα· σχεδὸν γὰρ εὐζωΐα τις εἴρηται καὶ εὐπραξία.* Quod igitur voluit Aristoteles, *τὸ πρακτὸν ἀγαθὸν* sive *τὸ ἀνθρώπινον ἀγαθὸν* adumbrare, id hac via ac ratione assecutus est. Eth. Nicom. I. 13. *Εἰ δὲ τῆς πολιτικῆς ἐστὶν ἡ σκέψις αὕτη, δῆλον ὅτι γένοιτ' ἂν ἡ ζήτησις κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς προαίρεσιν. Περὶ ἀρετῆς δὲ ἐπισκεπτέον, ἀνθρωπίνης δηλονότι· καὶ γὰρ τὸ ἀγαθὸν ἀνθρώπινον ἐζητοῦμεν, καὶ τὴν εὐδαιμονίαν ἀνθρωπίνην.* Sed ex verbis, quae ad beatitudinem definiendam adiecit: *εἰ δὲ πλείους αἱ ἀρεταί, κατὰ τὴν ἀρίστην καὶ τελειοτάτην*, intelligitur, Aristotelem eam indicasse beatitudinis definitionem, quam sub finem Ethicorum proposuit. Etenim quae interiecta sunt, ea pertinent vel ad virtutem ethicam describendam vel ad eas animi facultates constituendas, quae in virtutibus ethicis versantur. Quum autem videret, virtutes ethicas ad beate vivendum esse infirmiores, eo redit, unde exorsus erat, altiora nimirum moliens ac spectans. Eth. Nicom. X. 7. *Εἰ δ' ἐστὶν ἡ εὐδαιμονία κατ' ἀρετὴν ἐνέργεια, εὔλογον κατὰ τὴν κρατίστην· αὕτη δ' ἂν εἴη τοῦ ἀρίστου.* Ad mentis enim divinam naturam considerandam sese convertit atque in eius actu theoretico perfectam ait esse positam beatitudinem. Eth. Nicom. X. 7. *ἡ τούτου ἐνέργεια κατὰ τὴν οἰκείαν ἀρετὴν εἴη ἂν ἡ τελεία εὐδαιμονία· ὅτι δ' ἐστὶ θεωρητικὴ εἴρηται.* X. 8. *ὥστ' εἴη ἂν ἡ εὐδαιμονία θεωρία τις.* Mens

igitur optima ac divinia maxime pars est animi, in qua vera cuiusque hominis essentia cernitur, ut consentaneum sit postulare, ut homo suam, non alienam vitam agat. Eth. Nicom. X. 8. *Δόξειε δ᾽ ἂν καὶ ἕκαστος εἶναι τοῦτο, εἴπερ τὸ κύριον καὶ ἄμεινον· ἄτοπον οὖν γίνοιτ᾽ ἄν, εἰ μὴ τον αὐτοῦ βίον αἱροῖτο, ἀλλά τινος ἄλλου· τὸ λεχθέν τε πρότερον ἁρμόσει καὶ νῦν· τὸ γὰρ οἰκεῖον ἑκάστῳ τῇ φύσει κράτιστον καὶ ἥδιστόν ἐστιν ἑκάστῳ. καὶ τῷ ἀνθρώπῳ δὴ ὁ κατὰ τὸν νοῦν βίος, εἴπερ τοῦτο μάλιστα ἄνθρωπος· οὗτος ἄρα καὶ εὐδαιμονέστατος.* Ethicae enim virtutes et quae inde proficiscuntur actiones, quum maximam partem in animi cupiditatibus ac perturbationibus coërcendis versentur, ad ea pertinent, quae a vera animi essentia aliena videntur. Sunt enim hominis, quatenus est substantia composita, et pertinent ad ea, quae aliter se habere possunt. De anim. III. 10. *πρακτὸν δ᾽ ἐστὶ τὸ ἐνδεχόμενον καὶ ἄλλως ἔχειν.* Hinc humanae vocantur et quae in his posita est beatitudo, humana. Eth. Nicom. X. 8. *αἱ δὲ τοῦ συνθέτου ἀρεταί, ἀνθρωπικαί· καὶ ὁ βίος δὴ ὁ κατ᾽ αὐτὰς καὶ ἡ εὐδαιμονία· ἡ δὲ τοῦ νοῦ, κεχωρισμένη.* Atque hac quidem rerum, quae in actionem cadunt, inconstantia efficitur, ut limata ac subtilis earum scientia esse non possit. Eth. Nicom. I. 3. *Τὰ δὲ καλὰ καὶ τὰ δίκαια, περὶ ὧν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖται, τοσαύτην ἔχει διαφορὰν καὶ πλάνην, ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ μή. Τοιαύτην δέ τινα πλάνην ἔχει καὶ τἀγαθά, διὰ τὸ πολλοῖς συμβαίνειν βλάβας ἀπ᾽ αὐτῶν.* 7. *Μεμνῆσθαι δὲ καὶ τῶν προειρημένων χρή, καὶ τὴν ἀκρίβειαν μὴ ὁμοίως ἐν ἅπασιν ἐπιζητεῖν, ἀλλ᾽ ἐν ἑκάστοις κατὰ τὴν ὑποκειμένην ὕλην· καὶ ἐπὶ τοσοῦτον, ἐφ᾽ ὅσον οἰκεῖον τῇ μεθόδῳ.* Res autem illae, circa quas mens versatur, per se necessario sunt, nec possunt se aliter habere. Quam ab causam scientia earum et limatissima est et subtilissima. Eth. Nicom. VI. 1. Metaph. I. 2. *ἀκριβέσταται δὲ τῶν ἐπιστημῶν αἱ μάλιστα τῶν πρώτων εἰσίν.*

Quare si quaesiveris, quam late pateat beatitudinis definitio ab Aristotele proposita, eam tantum patere videbis, quantum pateat mentis rationisque imperium. Potest enim contingere vita beata omnibus iis, qui homines nati sunt nec aliqua parte, quae ad colendam virtutem necessaria est, natura destituti. Eth. Nicom. I. 9. Pol. VII. 13. *Ἀλλὰ μὴν ἀγαθοί γε καὶ σπουδαῖοι γίγνονται διὰ τριῶν. τὰ τρία δὲ ταῦτά ἐστι φύσις ἔθος λόγος. καὶ γὰρ φῦναι δεῖ πρῶτον οἷον ἄνθρωπον ἀλλὰ μὴ τῶν ἄλλων τι ζῴων, εἶτα καὶ ποιόν τινα τὸ σῶμα καὶ τὴν ψυχήν.* Excluduntur ea quum cetera animalia omnia tum vulgus hominum, qui cupiditatibus indulgent ac pecudum more vitam agunt. Sed quum mentis agitatio duplex sit: versatur enim aut in actione aut in rerum cognitione, duo oriuntur vitae genera, unum, quod positum est in agendo, alterum, quod in contemplatione ac scientia rerum consistit. Pol. VII. 14. *ὁ μὲν γὰρ πρακτικός ἐστι λόγος, ὁ δὲ θεωρητικός.* Hinc duae nascuntur disciplinae, ad quas pertinet de vita beata quaestio, una, quae politica est, altera, quae prima philosophica vocatur. Scientia politica, quae eadem sub finem Eth. Nicom. *ἡ περὶ τὰ ἀνθρώπινα φιλοσοφία* appellata est, continet tres partes, Ethica, Oeconomica, Politica communi totius disciplinae nomine proprie vocata. Magn. Mor. I. 1. Eth. Nicom. I. 2. Ac si quis forte miretur, quod in Ethicis de

beatitudine praecipue sit expositum, illud tenendum est, virtutem ethicam sive moralem quum omnis societatis humanae tum eius, quae inde nascitur, beatitudinis pro fundamento ab Aristotele esse habitam. Deinde autem, quum prudentia civilis partim singulis hominibus, partim familiis, partim civitatibus consulat, consentaneum est, Aristotelem de singulorum hominum virtute exponere, quoniam ei persuasum est, eandem esse singulorum hominum ac communitatis virtutem, eandemque viam ad beate yivendum. Pol. VII. 15. *Ἐπεὶ δὲ τὸ αὐτὸ τέλος εἶναι φαίνεται καὶ κοινῇ καὶ ἰδίᾳ τοῖς ἀνθρώποις, καὶ τὸν αὐτὸν ὅρον ἀναγκαῖον εἶναι τῷ τε ἀρίστῳ ἀνδρὶ καὶ τῇ ἀρίστῃ πολιτείᾳ, φανερὸν ὅτι δεῖ τὰς εἰς τὴν σχολὴν ἀρετὰς ὑπάρχειν.* Etenim omnes quaestiones politicae ad communes locos ethicos de beatitudine, de virtute, de consilio, tamquam ad fontes suos redeunt. Sed quum beatitudo humana, quam prudentia civilis persequitur, imperfecta sit, alia exsistit scientia, quae ceterarum omnium scientiarum princeps est ac moderatrix. Atque haec quidem scientia prima philosophia sive sapientia appellata, ac quoniam ea ceterarum scientiarum principia, in quibus beatitudo principem locum obtinet, omnium *ἀρχικωτάτη καὶ ἡγεμονικωτάτη* dicta est. Metaph. III. 2. *ἣ μὲν γὰρ ἀρχικωτάτη καὶ ἡγεμονικωτάτη, καὶ ᾗ ὥσπερ δούλας οὐδ' ἀντειπεῖν τὰς ἄλλας ἐπιστήμας δίκαιον, ἡ τοῦ τέλους καὶ τἀγαθοῦ τοιαύτη (τούτου γὰρ ἕνεκα τἆλλα).* Dicitur et scientia politica *ἀρχικωτάτη*. Eth. Nicom. I. 2., tum quia prudentia civilis omnium earum virtutum, quae quidem humanae sive morales vocantur, princeps est ac domina, Eth. Nicom. VI. 7. 8. Pol. I. 13., tum quia beatitudinis notione ceterae omnes disciplinae ac facultates, quae ad vitae actionem spectant, continentur. Ratio autem, quae inter utramque scientiam intercedit, ea est, ut prudentia res eas, quae ad sapientiam tamquam ad finem omnium bonorum spectant, aut praecipiat aut subministret. Eth. Nicom. VI. 13. *Ἀλλὰ μὴν οὐδὲ κυρία γε (ἡ φρόνησις) ἐστι τῆς σοφίας οὐδὲ τοῦ βελτίονος μορίου· ὥσπερ οὐδὲ τῆς ὑγιείας ἡ ἰατρική· οὐ γὰρ χρῆται αὐτῇ, ἀλλ' ὁρᾷ ὅπως γένηται· ἐκείνης οὖν ἕνεκα ἐπιτάττει, ἀλλ' οὐκ ἐκείνῃ· ἔτι ὅμοιον κἂν εἴ τις τὴν πολιτικὴν φαίη ἄρχειν τῶν θεῶν, ὅτι ἐπιτάττει περὶ πάντα τὰ ἐν τῇ πόλει.* Ita omnis actio, omnis vitae instituendae ratio ad summum bonum spectant eoque continentur tamquam vinculo suo. Positum autem est summum bonum in rerum divinarum contemplatione.

CAPUT II.

DE CONSILIO.

Alterum principium, unde omnis actio proficiscitur, consilium (*προαίρεσις*) est. In consilio duo coniuncta sunt arctissime, mens et appetitus (*νοῦς καὶ ὄρεξις*): quae duo *τὰ κύρια πράξεως καὶ ἀληθείας* dicuntur. Eth. Nicom. VI. 2. *Τρία δ' ἐστὶν ἐν τῇ ψυχῇ τὰ κύρια πράξεως καὶ ἀληθείας, αἴθησις, νοῦς, ὄρεξις. Τούτων δ' ἡ αἴσθησις οὐδεμιᾶς ἀρχὴ πράξεως.* De Anim. III. 10. *ἄμφω ἄρα ταῦτα κινητικὰ κατὰ τόπον, νοῦς καὶ ὄρεξις.* cfr. de mot. anim. c. 6.

Itaque hanc proposuit Aristoteles consilii definitionem Eth. Nicom. VI. 2. *διὸ ἢ ὀρεκτικὸς νοῦς ἡ προαίρεσις, ἢ ὄρεξις διανοητική.* Videamus igitur, quomodo duae illae formae, in quas animi naturam divisam esse voluit, cognoscendi et appetendi facultatem dico, de anim. III. 9. *ἐπεὶ δὲ ἡ ψυχὴ κατὰ δύο ὥρισται δυνάμεις ἡ τῶν ζῴων, τῷ τε κριτικῷ, ὃ διανοίας ἔργον ἐστὶ καὶ αἰσθήσεως, καὶ ἔτι τῷ κινεῖν τὴν κατὰ τόπον κίνησιν,* in consilio coniunctae sint. Nam etsi illae quidem cogitatione ac notione dirimendae sunt, ut corporis partes discernere solemus, uno tamen actu et copulantur et continentur, ut vel absurdum sit, easdem, natura coniunctas, disiungere velle. De anim. III. 9. *καὶ ἄτοπον δὴ τοῦτο (τὸ ὀρεκτικόν) διασπᾶν.* Eth. Nicom. I. 13. Appetitum si per se spectaveris, ille quidem tres habet formas, cupiditatem (*ἐπιθυμίαν*), iram (*θυμόν*), voluntatem (*βούλησιν*), quae communi nomine *ὀρέξεως* comprehenduntur. De anim. III. 9. *ἔν τε τῷ λογιστικῷ γὰρ ἡ βούλησις γίνεται καὶ ἐν τῷ ἀλόγῳ ἡ ἐπιθυμία καὶ ὁ θυμός.* Magn. mor. I. 12. *ὀρέξεως δέ ἐστιν εἴδη τρία, ἐπιθυμία, θυμός, βούλησις.* Ex his tribus formis voluntas rationi ab omni parte consentit, reliquae duae, quamvis per se rationis expertes, ita tamen natura factae sunt, ut rationi obtemperare possint. Eth. Nicom. I. 13. *Φαίνεται δὴ καὶ τὸ ἄλογον διττόν. τὸ μὲν γὰρ φυτικὸν οὐδαμῶς κοινωνεῖ λόγου· τὸ δὲ ἐπιθυμητικὸν καὶ ὅλως ὀρεκτικὸν μετέχει πως, ᾗ κατήκοόν ἐστιν αὐτοῦ καὶ πειθαρχικόν.* Omnis autem appetitus alicuius rei causa est. De anim. III. 10. *καὶ ἡ ὄρεξις ἕνεκά του πᾶσα.* Quae quidem causa omnis motionis, quae in appetitu cernitur, principium est. Hoc principium, etsi per se immobile, in motionis tamen, quae in appetitu est, societatem ac communionem abit. Postquam autem in commotionis societatem abiit, ceterae deinceps subsequuntur motiones, in quibus animal versatur. De anim. III. 10. *πρῶτον δὲ πάντων τὸ ὀρεκτόν (τοῦτο γὰρ κινεῖ οὐ κινούμενον τῷ νοηθῆναι ἢ φαντασθῆναι), ἀριθμῷ δὲ πλείω τὰ κινοῦντα. ἐπειδὴ δ' ἐστὶ τρία, ἓν μὲν τὸ κινοῦν, δεύτερον δ' ᾧ κινεῖ, τρίτον τὸ κινούμενον, τὸ δὲ κινοῦν διττόν, τὸ μὲν ἀκίνητον, τὸ δὲ κινοῦν καὶ κινούμενον· ἔστι δὲ τὸ μὲν ἀκίνητον τὸ πρακτὸν ἀγαθόν, τὸ δὲ κινοῦν καὶ κινούμενον τὸ ὀρεκτικόν (κινεῖται γὰρ τὸ κινούμενον ᾗ ὀρέγηται, καὶ ἡ κίνησις ὄρεξίς τίς ἐστιν ἢ ἐνέργεια), τὸ δὲ κινούμενον τὸ ζῷον.* Quae quum ita sint, non possumus offendere eo, quod Aristoteles *τὸ πρακτὸν ἀγαθὸν* nunc mobile, ut brevi ante, nunc immobile esse dicit: nam ubi in animi humani communionem accessit, in iis rebus est, quae moventur: accedit autem in animi humani communionem eo, quod aut mente apprehenditur aut imaginatione, *τὸ νοηθῆναι ἢ φαντασθῆναι,* informatur: at per se ipsum, ut principium honestatis, immobile atque aeternum est. Praeterea illud tenendum est, neque mentem per se solam neque appetitum, a mente aut imaginatione seiunctum, quidquam valere ad agendum. Nam mens theoretica in rerum aeternarum contemplatione versatur, appetitus absque mente atque imaginatione nullius omnino actionis causa est. De anim. III. 9. *ἀλλὰ μὴν οὐδὲ τὸ λογιστικὸν καὶ ὁ καλούμενος νοῦς ἐστιν ὁ κινῶν· ὁ μὲν γὰρ θεωρητικὸς οὐθὲν νοεῖ πρακτόν, οὐδὲ λέγει περὶ φευκτοῦ καὶ διωκτοῦ οὐθέν, ἡ δὲ κίνησις ἢ φεύγοντός τι ἢ διώκοντός τί ἐστιν. — — ἀλλὰ μὴν οὐδ' ἡ ὄρεξις ταύτης κυρία τῆς*

κινήσεως· οἱ γὰρ ἐγκρατεῖς ὀρεγόμενοι καὶ ἐπιθυμοῦντες οὐ πράττουσιν ὧν ἔχουσι τὴν ὄρεξιν, ἀλλ' ἀκολουθοῦσι τῷ νῷ. Quod bonum mente apprehenditur, voluntate appetitur, id revera bonum est, quod autem imaginatione animo informatum est et cupiditate appetitur, id speciem habet boni. Principium est mentis perceptio. Metaph. XII. 7. *τὸ ὀρεκτὸν καὶ τὸ νοητὸν κινεῖ οὐ κινούμενα. τούτων τὰ πρῶτα τὰ αὐτά. ἐπιθυμητὸν μὲν γὰρ τὸ φαινόμενον καλόν, βουλητὸν δὲ πρῶτον τὸ ὂν καλόν. ὀρεγόμεθα δὲ διότι δοκεῖ μᾶλλον ἢ δοκεῖ διότι ὀρεγόμεθα. ἀρχὴ δὲ ἡ νόησις.* Duo igitur existunt principia, quae sibi sunt opposita, unum *τὸ ὀρεκτόν,* quod mens apprehendit, voluntas appetit, alterum *τὸ προαιρετόν*, unde actio proficiscitur. Eth. Nicom. VI. 2. *πράξεως μὲν οὖν ἀρχὴ προαίρεσις, ὅθεν ἡ κίνησις, ἀλλ' οὐχ οὗ ἕνεκα· προαιρέσεως δέ, ὄρεξις καὶ λόγος ὁ ἕνεκά τινος.* Haec autem duo extrema uno principio continentur, quod positum est in mente practica. Nam mens practica et fines rerum agendarum considerat easque constituit, et eas res, quae ad finem pertinent. Etenim prudentia, quum in iis rebus solis, quae fini accommodatae sunt, versetur, mentis ministra est eique quodammodo opposita, quia extremi est, quod sub sensum cadit. Eth. Nicom. VI. 8. *Ἀντίκειται μὲν δὴ τῷ νῷ (ἡ φρόνησις)· ὁ μὲν γὰρ νοῦς τῶν ὅρων, ὧν οὐκ ἔστι λόγος· ἡ δὲ τοῦ ἐσχάτου, οὗ οὐκ ἔστιν ἐπιστήμη, ἀλλ' αἴσθησις.* Sed quam facultatem videndi universalia in singulis prudentiae tribuit Aristoteles, eandem vindicat menti, hoc tamen discrimine, quod prudentia ea tantum, quae ad finem pertinent, spectat, mens autem et finem constituit, sive, ut cum Aristotele rem ad logicam referamus, quod mens extremorum est in utramque partem. Eth. Nicom. VI. 11. *Ἔστι δὲ τῶν καθ' ἕκαστα καὶ τῶν ἐσχάτων ἅπαντα τὰ πρακτά· καὶ γὰρ τὸν φρόνιμον δεῖ γιγνώσκειν αὐτά· καὶ ἡ σύνεσις καὶ ἡ γνώμη περὶ τὰ πρακτά. Καὶ ὁ νοῦς τῶν ἐσχάτων ἐπ' ἀμφότερα· καὶ γὰρ τῶν πρώτων ὅρων καὶ τῶν ἐσχάτων νοῦς ἐστι.* Apprehendit enim mens et universalium et singularium rerum principia eorumque rationes pervidet. Unde efficitur, ut nunc per syllogismum, nunc per inductionem demonstret. Analyt. post. II. 19. Adhibet autem inductionem, quia res, quae in actionem veniunt, aliter se habere possunt. cfr. Eth. Nicom. VI. 11. Quod si ita est, iure mihi videor posse contendere, mentem practicam ab Aristotele pro hoc uno ac solo principio agendi, quod quidem in homine positum est, esse habitam. Est enim mens practica terminus medius, qui terminum maiorem, agendi finem, et terminum minorem, rem agendam, in se continet atque efficit, ut extrema, quae per se distant, in unum coëant: et quemadmodum terminus medius causa est, ex qua res vel gignitur vel cognoscitur, Analyt. post. II. 2. *Τὸ μὲν αἴτιον τὸ μέσον, ἐν ἅπασι δὲ τοῦτο ζητεῖται.* cfr. I. 2.: sic mens practica causa ac principium est omnis actionis. Atque tale quidem principium homo est.

Sed ratio, quam termino maiori cum termino minore intercedere voluerit Aristoteles, accuratius exploranda erit. Ac primum quidem illud apertum est, extremum bonorum ex Aristotelis sententia stabile quiddam esse. Nam in iis rebus est, quae necessario sunt et propter quas cetera necessaria dicuntur. Hoc igitur extremum bonorum si non esset, omnino nulla esset actio

hominum. Quam ob rem omnis actionis principium est, et illud quidem immobile et prima causa. Metaph. V. 5. XII. 7. IX. 8. Sed quum appetitus ad extremum bonorum apprehendendum natura factus sit, efficitur, ut idem illud in actionis societatem transeat. Quoniam autem appetitus per se caecus est, mens ei addita est, tamquam oculus, ut videat ac iudicet, quid verum rectumve sit vel in consiliis vel in finibus constituendis. Ponit igitur mens terminum alterum, rectam rationem (*τὸν ὀρθὸν λόγον*), sine qua omnino nulla esse potest virtus, neque ulla actio honesta. Laudat itaque Socratem, quod virtutes scientias dixerit, at eundem reprehendit, quod appetitum sive naturalem virtutis habitum neglexerit. Eth. Nicom. IV. 13. Intelligitur autem ex his, quomodo duo illa extrema in mente practica coniuncta sint. Unum extremum, finis bonorum, vim suam manifestat in altero extremo, consilio, unde actio proficiscitur, termino medio, mentem practicam intelligo, interposito. Hanc rationem secutus esse videtur Aristoteles in Ethicis. Uno enim extremo, ad quod omnes actiones tendunt, posito, ad alterum extremum, unde omnis actio incipit, sese convertit ac viam commonstrat, qua ad finem propositum perveniri possit. Apparet autem, eum composuisse Ethica ad animi humani naturam eiusque generationem, ita, ut ab inferioribus ad superiora ascendat, ut a Mureto recte animadversum est ad lib. III. 6. Extremum alterum consilium est, in quo mens et appetitus suam vim coniunctim declarant, *ὀρεκτικὸς νοῦς ἡ προαίρεσις*. Consilium enim, etsi fini oppositum, suscipit tamen eiusdem *ἐνέργειαν* fovetque eam, ita ut nihil aliud sit, nisi actus eiusdem. Metaph. IX. 8. *ἀρχὴ γὰρ τὸ οὗ ἕνεκα, τοῦ τέλους δ' ἕνεκα ἡ γένεσις. τέλος δ' ἡ ἐνέργεια, καὶ τούτου χάριν ἡ δύναμις λαμβάνεται.* Ex consilio autem actiones proficiscuntur, quia veri honestique intelligentia in consilio inest. Nam hoc potissimum ad omnem virtutem actionemque requirit Aristoteles, ut homo, qui agat, scientiam veri rectique habeat. Quid? quod eos, qui aut natura fautrice virtutes quasdam exercent, aut inviti sive inscii legibus obtemperant, noluit nominari honestos, quippe quum in eis *τὸ κυρίως ἀγαθόν, ὁ ὀρθὸς λόγος*, sine quo nec virtus vera nec actio honeste esset, desideraretur. Eth. Nicom. VI. 13. *ἀλλ' ὅμως ζητοῦμεν ἕτερόν τι, τὸ κυρίως ἀγαθὸν εἶναι.* 12. *ὥσπερ γὰρ καὶ τὰ δίκαια λέγομεν πράττοντάς τινας οὔπω δικαίους εἶναι, οἷον τοὺς τὰ ὑπὸ τῶν νόμων τεταγμένα τοιοῦντας, ἢ ἄκοντας, ἢ δι' ἄγνοιαν, ἢ δι' ἕτερόν τι, καὶ μὴ δι' αὐτά.* Ac tantum abest, ut iis consentiat Aristoteles, qui negant, quemquam sponte ac consulto improbum esse, ut idem contendat, ignorantiam veri honestique ipsam esse turpitudinem. Eth. Nicom. III. 5. Quare, ut boni evadamus, tribus rebus opus est, natura, consuetudine, doctrina: at natura et consuetudo non multum valent, nisi accesserit recta ratio, id est veri honestique intelligentia, virtutis usu et exercitatione acquisita. Pol. VII. 13. *Ἀλλὰ μὴν ἀγαθοίγε καὶ σπουδαῖοι γίγνονται διὰ τριῶν. τὰ τρία δὲ ταῦτά ἐστι φύσις, ἔθος, λόγος.* Pervertit enim agendi principia morum pravitas ac facit, ut pro vero rectoque falsum opinemur. Eth. Nicom. VI. 12. *διαστρέφει γὰρ ἡ μοχθηρία, καὶ διαψεύδεσθαι ποιεῖ περὶ τὰς πρακτικὰς ἀρχάς.* Quam ob rem illud potissimum politicis spectandum esse ait, ut bonis moribus honestisque vitae studiis cives imbuant eosque assuefaciant

ad virtutem appetendam. Eth. Nicom. II. 1. X. 9. Vehementer igitur errant ii, qui putant, naturam solam ab Aristotele esse habitam civitatis genetricem: immo disertis verbis dicit, ad virtutem civitatis opus esse consilio ac scientia. Pol. VII. 13. *τὸ δὲ σπουδαίαν εἶναι τὴν πόλιν οὐκέτι τύχης ἔργον, ἀλλ' ἐπιστήμης καὶ προαιρέσεως.* Natura enim quasi materia est, in qua effingenda mentis humanae virtus cernitur. Eth. Nicom. II. 1. *Οὔτ' ἄρα φύσει οὔτε παρὰ φύσιν ἐγγίνονται αἱ ἀρεταί· ἀλλὰ πεφυκόσι μὲν ἡμῖν δέξασθαι αὐτάς, τελειουμένοις δὲ διὰ τοῦ ἔθους.* Etenim a natura novus quidam rerum ordo incipit, qui ad mentis theoreticae procreationem, tamquam ad finem suum, tendit. Pol. VII. 15. *ὁ δὲ λόγος ἡμῖν καὶ ὁ νοῦς τῆς φύσεως τέλος, ὥστε πρὸς τούτους τὴν γένεσιν καὶ τὴν τῶν ἐθῶν δεῖ παρασκευάζειν μελέτην.* Quare prudentiae civilis est, cupiditatum vim coërcere eamque dirigere ad vitam honestam. Ita ille naturae impetus, qui *θυμὸς* vocatur, intelligentia ac ratione moderandus est. Nam etsi ille quidem ad civitatis libertatem vel constituendam vel tuendam maxime idoneus est, tamen quum ad iniuriam faciendam natura proclivior sit, rationis mentisque imperio opus est, ut intra fines honesti ac veri contineatur. Pol. VII. 7. Eth. Nicom. VII. 5. Omnis igitur honestas, omnisque animi humani libertas in eo est posita, ut appetitus cum ratione recta verique intelligentia consentiat. Quod fieri solet, quum eadem ratio affirmat, eadem appetitus persequitur, atque ad hanc quidem veritatem mens, quae vocatur practica, facta est atque composita. Eth. Nicom. VI. 2. *ὥστ' ἐπειδὴ ἡ ἠθικὴ ἀρετὴ ἕξις προαιρετική, ἡ δὲ προαίρεσις ὄρεξις βουλευτική· δεῖ διὰ ταῦτα τόν τε λόγον ἀληθῆ εἶναι, καὶ τὴν ὄρεξιν ὀρθήν, εἴπερ ἡ προαίρεσις σπουδαία· καὶ τὰ αὐτὰ τὸν μὲν φάναι, τὴν δὲ διώκειν· αὕτη μὲν οὖν ἡ διάνοια καὶ ἡ ἀλήθεια πρακτική.*

CAPUT III.

DE UTRIUSQUE PRINCIPII RELATIONE MUTUA.

Quod si quaeris, num Aristoteles animi humani libertatem defenderit, concedam equidem, eum arbitrio unius cuiusque reliquisse, utrum honestatem an turpitudinem sequi vellet: nam id non solum aperte dicit, Eth. Nicom. III. 5. *ἐφ' ἡμῖν ἔσται τὸ ἐπιεικέσι καὶ φαύλοις εἶναι*, sed etiam tota eius quaestio de consilio eo spectat: at idem ego contendo, Aristotelem animi humani libertatem posuisse in consilii humani ac voluntatis cum honestate consensu. Quod autem per se honestum est, id nec arbitrio hominis nec ulla pravitate aut immutari aut depravari potest. Nam et honestatis finis ab aeterno est positus, et via, quae ad eundem finem ducit, ab aeterno circumscripta. Etenim custodiunt hominum consilia ac facta divina numina, ut ait Sophocles Oed. Tyr. v. 863 sq., et leges civitatis, ad leges divinas factae et compositae, eadem auctoritate cogendi valent, ut ait Aristoteles. Eth. Nicom. X. 9. *ὁ δὲ νόμος ἀναγκαστικὴν ἔχει δύναμιν, λόγος ὢν ἀπό τινος φρονήσεως καὶ νοῦ.* Nam quae tandem causa esset, cur punirentur scelerati, nisi homo ad honestatem colendam natus destinatusque esset? Eth. Nicom. III. 3.

Ac ne quis forte putet, Aristotelis sententiam de arbitrio humano a nobis arctius constringi, illud monendum videtur, hominem virtutis suae *συναίτιον* esse, ut materia, postquam formam in se suscepit, *συναιτία* generationis est. Praeterea autem hoc patet, indolem ad virtutem colendam divinitus homini esse datam. Quid igitur libertati hominis relictum est, nisi hoc, ut mens finem divinitus constitutum apprehendat, ut prudentia viam divinitus praescriptam ingrediatur ac sibi muniat, ut consilium indole ad virtutem colendam divinitus data recte utatur? Potest quidem homo pro arbitratu suo eos fines, quibus vita humana circumscripta est, excedere: at fines illi omni arbitrio humano superiores aeterna vigent auctoritate ac vim suam declarant vel cohibendo vel interimendo. Quare praeclare Aristoteles: Eth. Nicom. IX. 4. *οὐ δὴ φαίνεται ὁ φαῦλος οὐδὲ πρὸς ἑαυτὸν φιλικῶς διακεῖσθαι, διὰ τὸ μηδὲν ἔχειν φιλητόν· εἰ δὴ τὸ οὕτως ἔχειν λίαν ἐστὶν ἄθλιον, φευκτέον τὴν μοχθηρίαν διατεταμένως, καὶ πειρατέον ἐπιεικῆ εἶναι· οὕτω γὰρ καὶ πρὸς αὐτὸν φιλικῶς ἂν ἔχοι, καὶ ἑτέρων φίλος γένοιτο. — — οἷς δὲ πολλὰ καὶ δεινὰ πέπρακται, καὶ διὰ τὴν μοχθηρίαν μισοῦνται, φεύγουσι τὸ ζῆν, καὶ ἀναιροῦσιν ἑαυτούς.* Honestas contra conservat ac tuetur hominis essentiam. Sed haec res altius repetenda est.

Vidimus enim, beatitudinem absolutam in mente theoretica esse positam, eamque pro fine omnis generationis haberi. Praeterea vidimus, mentis theoreticae actum vitam esse eandemque beatissimam. Eth. Nicom. X. 7. Metaph. XII. 7. *ἡ γὰρ νοῦ ἐνέργεια ζωή.* Quod si ita est, non amplius dubitari poterit, quin mentis theoreticae *ἐνέργεια* vera ac propria sit cuiusque hominis essentia. Arctius vitam beatam cum mentis essentia copulavit Plotinus, qui in his Aristotelem secutus est. Is enim bene vivere et beatum esse unum atque idem esse ait, diversum autem pro diversis gradibus, quibus vita ascendat ad vitam absolutam, quam in mente esse positam dicit. Plot. Ennead. I. lib. IV. 31. *ὅτι δὲ ἡ τελεία ζωή, καὶ ἡ ἀληθινὴ καὶ ὄντως, ἐν ἐκείνῃ τῇ νοερᾷ φύσει· καὶ ὅτι αἱ ἄλλαι ἀτελεῖς, καὶ ἰνδάλματα ζωῆς, καὶ οὐ τελείως, οὐδὲ καθαρῶς, καὶ οὐ μᾶλλον ζωαὶ ἢ τοὐναντίον, πολλάκις μὲν εἴρηται. Καὶ νῦν δὲ λελέχθω συντόμως, ὡς, ἕως ἂν πάντα τὰ ζῶα ἐκ μιᾶς ἀρχῆς ᾖ, μὴ ἐπίσης δὲ τὰ ἄλλα ζῇ, ἀνάγκη τὴν ἀρχὴν τὴν πρώτην ζωὴν καὶ τὴν τελειότητα εἶναι.* Sed non est, quod Plotinum adferamus, Aristoteles enim aperte dicit, mentis essentiam vitam beatam esse, sive, quod idem est, vitam beatam esse mentis essentiam. Eth. Nicom. IX. 4. *ἔχει γὰρ καὶ νῦν ὁ θεὸς τἀγαθόν, ἀλλ' ὢν ὅ, τί ποτ' ἐστί.* Metaph. XII. 7. *ἐνεργεῖ δὲ ἔχων ὁ νοῦς. — ἐπεὶ καὶ ἡ ἡδονὴ ἐνέργεια τούτου.* Quod his locis de essentia dei dictum est, idem valet de mentis essentia, quae hominis est, siquidem mens humana ad dei similitudinem facta est et comparata. Eth. Nicom. X. 8. *ὥστε ἡ τοῦ θεοῦ ἐνέργεια μακαριότητι διαφέρουσα θεωρητικὴ ἂν εἴη· καὶ τῶν ἀνθρωπίνων δὴ ἡ ταύτῃ συγγενεστάτη, εὐδαιμονικωτάτη. — τοῖς μὲν γὰρ θεοῖς πᾶς ὁ βίος μακάριος· τοῖς δ' ἀνθρώποις, ἐφ' ὅσον ὁμοίωμά τι τῆς τοιαύτης ἐνεργείας ὑπάρχει.* Mens autem hominis, quatenus divina quaedam essentia est, per se ac propter se est, cetera autem omnia ita natura facta, ut ei serviant. Metaph. I. 2. Eth. Nicom. IX. 4. Ac quoniam ei nihil oppositum est, ipsa se ipsam cognoscit

ac sui ipsius causa est. De anim. III. 6. *εἰ δέ τινι μή ἐστιν ἐναντίον τῶν αἰτίων, αὐτὸ ἑαυτὸ γινώσκει καὶ ἐνεργείᾳ ἐστὶ καὶ χωριστόν.* Analyt. post. I. 24. *Ὧι καθ' αὑτὸ ὑπάρχει τι, τοῦτο αὐτὸ αὑτῷ αἴτιον· τὸ δὲ καθόλου πρῶτον· αἴτιον ἄρα τὸ καθόλου.* Ac ne quis forte miretur, quod Aristoteles mentem se ipsam contemplantem fecit, illud tenendum est, mentem contemplando sibi vindicare ac conciliare intelligibilia (*τὰ νοητά*), atque hoc modo et ipsam fieri intelligibilem. Metaph. XII. 7. Quemadmodum enim sensus rerum sibi subiectarum formas animo vindicat easdemque ita sibi conformat, ut *τὸ αἰσθητικὸν* et *τὸ αἰσθητὸν* uno actu contineantur de anim. II. 6: ita mens res aeternas, ab omni materia seiunctas, apprehendit apprehensasque ex semet ipsa progignit. Sed dubitatum est, num in hominis mortalitatem haec essentia cadere posset. Aristoteles respondet: hominem mortalitate sua sublata oportere immortalia cogitare. Eth. Nicom. X. 7. *εἰ δὴ θεῖον ὁ νοῦς πρὸς τὸν ἄνθρωπον, καὶ ὁ κατὰ τοῦτον βίος θεῖος πρὸς τὸν ἀνθρώπινον βίον· χρὴ δὲ οὐ κατὰ τοὺς παραινοῦντας ἀνθρώπινα φρονεῖν, ἄνθρωπον ὄντα, οὐ δὲ θνητὰ τὸν θνητόν, ἀλλ' ἐφ' ὅσον ἐνδέχεται ἀπαθανατίζειν, καὶ ἅπαντα ποιεῖν πρὸς τὸ ζῆν κατὰ τὸ κράτιστον τῶν ἐν αὐτῷ·*: atque in eo consentit Platoni, qui sapientiae studium nihil aliud esse dicit, nisi praeparationem et meditationem mortis. cfr. Phaed. Quod autem nonnulli, ut Zellerus, dicunt, non hominis, sed dei universalem essentiam mentis notione proposita significare voluisse Aristotelem, ei obstat illud, quod Aristoteles disertis verbis dicit, mentis vitam propriam esse cuiusque essentiam. Eth. Nicom. X. 7. IX. 4. *δόξειε δ' ἂν τὸ νοοῦν ἕκαστος εἶναι.* Nam etsi negari non poterit, mentem esse universale quiddam, tamen idem illud universale cum eo, quod singulare est, ita in unum collectum atque copulatum est, ut in essentiae notione utrumque insit, id quod in Categoriis et Metaphysicis ab Aristotele satis expositum est.

Sed ab ea essentia, quae in generationem cadit, ea essentia distinguenda est, quae rei, quae generatur, tamquam prima eiusdem causa, subest. Hanc enim essentiam ait Aristoteles natura priorem esse, quae generationis sit particeps. Atque haec quidem essentia (*τὸ τί ἦν εἶναι*) quantum equidem video, divina est notio, sive cogitatio earum rerum omnium, quae in motu ac generatione versantur, eademque earundem effectrix ac prima causa. Quae quidem notio, etsi per se immobilis et stabilis, generationis tamen ac motus fit particeps. Metaph. VII. *καὶ τὸ τί ἦν εἶναι λέγεται εἶναι ἡ ἑκάστου οὐσία. — φανερὸν δὴ ἐκ τῶν εἰρημένων ὅτι τὸ μὲν ὡς εἶδος ἢ οὐσία λεγόμενον οὐ γίγνεται, ἡ δὲ σύνοδος ἡ κατὰ ταύτην λεγομένη γίγνεται.* (Sed de his totus liber VII. Metaph. conferendus est.) Nos hoc quidem loco id intellectum esse volumus, mentem theoreticam et, quod inde consequitur, vitam beatam totius generationis, quae his in terris fieri solet, esse finem. Ac primum quidem existit rerum naturalium ordo, cuius finis natura est, deinceps ex natura effloreseit ordo rerum honestarum, cuius finis est beatitudo in actione posita (*ἡ εὐπραξία*); postremo mens theoretica, cuius causa omnis generatio facta est. Pol. VII. 15. *Φανερὸν δὴ τοῦτό γε πρῶτον μέν, καθάπερ ἐν τοῖς ἄλλοις, ὡς ἡ γένεσις ἀπ' ἀρχῆς ἐστὶ καὶ τὸ τέλος ἀπό τινος ἀρχῆς ἄλλου τέλους. ὁ δὲ λόγος ἡμῖν καὶ ὁ νοῦς τῆς φύσεως*

τέλος, ὥστε πρὸς τούτους *τὴν γένεσιν καὶ τὴν τῶν ἐθῶν δεῖ παρασκευάζειν μελέτην* et sq. Omnis igitur naturae fabrica omnisque vitae honeste instituendae ratio ad dei cognitionem, quae mentis theoreticae propria est, spectant. Mentis theoreticae actus perfectus est, mentis practicae actus imperfectus, quippe qui in iis rebus versetur, qui aliter se habere possunt. De anim. III. 7. *ἡ γὰρ κίνησις τοῦ ἀτελοῦς ἐνέργεια ἦν, ἡ δὲ ἁπλῶς ἐνέργεια ἑτέρα ἡ τοῦ τετελεσμένου.* Quemadmodum igitur sanitas sanitatem corporis et efficit et conservat, ita sapientia et efficit et conservat vitam beatam. Prudentiam vero, quippe quae ea subministret, quae fini accommodata sint, comparat Aristoteles arti medendi, quae consulat, ut sanitas existat atque adsit. Eth. Nicom. VI. 12, 13. Sed finis duplex est: *τὸ δ' οὗ ἕνεκα διττόν, τὸ μὲν οὗ, τὸ δὲ ᾧ*, id quod ab Aristotele saepius, quamquam brevius, dictum est, sed ex loco de anim. II. 4. intelligi poterit, quid velit: *φυσικώτατον γὰρ τῶν ἔργων τοῖς ζῶσιν — τὸ ποιῆσαι ἕτερον οἷον αὐτό — ἵνα τοῦ ἀεὶ καὶ τοῦ θείου μετέχωσιν ᾗ δύνανται· πάντα γὰρ ἐκείνου ὀρέγεται, κἀκείνου ἕνεκα πράττει ὅσα πράττει κατὰ φύσιν. τὸ δ' οὗ ἕνεκα, διττόν, τὸ μὲν οὗ, τὸ δὲ ᾧ.* Nimirum omne animal et sibi et aliorum ex se procreatorum causa natum est eamque ob causam et vim nutriendi habet, ut corpus suum, id est substantiam suam, conservet, et procreandi appetitum, quo aeternitatis fiat particeps. Eodem modo mens per se ac propter se est (*τὸ ᾧ*): at eadem, rerum divinarum contemplatione nutrita ac corroborata, ex se gignit non solum virtutes veras et solidas, verum etiam omnes bonas artes ac scientias maxime divinas (*τὸ οὗ*) Eth. Nicom. IX. 4. *Οὗτος* (*ὁ σπουδαῖος*) *καὶ βούλεται δὴ ἑαυτῷ τἀγαθὰ καὶ τὰ φαινόμενα καὶ πράττει· τοῦ γὰρ ἀγαθοῦ τἀγαθὸν διαπονεῖν, καὶ ἑαυτοῦ ἕνεκα· τοῦ γὰρ διανοητικοῦ χάριν, ὅπερ ἕκαστος εἶναι δοκεῖ.* et sq. Pol. I. 13. *τὸ γὰρ ἔργον ἐστὶν ἁπλῶς τοῦ ἀρχιτέκτονος, ὁ δὲ λόγος ἀρχιτέκτων.* Eth. Nicom. VII. 11. *οὗτος* (*ὁ νοῦς*) *γὰρ τοῦ τέλους ἀρχιτέκτων, πρὸς ὃ βλέποντες, ἕκαστον, τὸ μὲν κακόν, τὸ δ' ἀγαθὸν ἁπλῶς λέγομεν.* cfr. Eth. VI. 8. Quare non possum consentire Zellero, qui officia, quae homo sibi debeat, ab Aristotele praetermissa esse ait. Immo vero omnia officia, omnis vitae bene instituendae ratio ad mentem theoreticam vel proferendam vel declarandam vel conservandam referuntur. Mens enim, is quisque est. Eth. IX. 4. Itaque deus hominem, quum ei concederet, ut in semet ipso fontem vitae beatae haberet, ad sui similitudinem erigere voluit. Nam omnis invidia a deo aliena est, ut ait Aristotetes. Metaph. I. 2.

Sed finis principium est et causa generationis. Ita mens theoretica, cuius essentia vita beata est, finis et principium, *τέλος καὶ ἀρχή*. Eth. Nicom. VI. 11. Est enim, ut modo dictum est, ex Aristotelis sententia finis omni generatione prior, ut aedificium prius est quam aedificium aedificatum, ut vir prior, quam puer, aut civitas prior, quam familia. Nimirum notio sive ratio eius, quod in generationem cadit, natura et essentia sua generatione prior est. Atque haec quidem notio (*τὸ τί ἦν εἶναι*) ab una parte immobilis, ab altera parte in motus communionem accedit atque actionis passionisque particeps fit. Metaph. IX. 8. *ἀρχὴ γὰρ τὸ οὗ ἕνεκα, τοῦ τέλους δ' ἕνεκα ἡ γένεσις, τέλος δ' ἡ ἐνέργεια — τὸ γὰρ ἔργον τέλος, ἡ δὲ ἐνέργεια τὸ ἔρ-*

γον. — καὶ συντείνει πρὸς τὴν ἐντελέχειαν. — κατά τε δὴ τοῦτον τὸν [illegible] *ὅτι πρό-τερον τῇ οὐσίᾳ ἐνέργεια δυνάμεως. — ἀλλὰ μὴν καὶ κυριωτέρως· τὰ μὲν* [illegible] *τῇ οὐσίᾳ τῶν φθαρτῶν — οὐθὲν ἄρα τῶν ἀφθάρτων ἁπλῶς δυνάμει ἐστὶν ὂν* [illegible] *τῶν ἐξ ἀνάγκης ὄντων, καίτοι ταῦτα πρῶτα· εἰ γὰρ ταῦτα μὴ ἦν, οὐθὲν ἂν ἦν.* Q[illegible] sint, recte dici poterit, in deo omnis vitae beatae causam inesse ac fontem. Atq[illegible] dem hactenus.

Pauca addenda videntur de *ἐντελεχείας* notione. In dissertatione: Aristotelis de intelligentia sive mente sententia, monstrare conatus sum *ἐντελεχείας* nomine rationem earum rerum, quae in motu versarentur, earum autem rerum rationem, quibus nihil oppositum esset, *ἐνεργείας* nomine significari. Schweglerus in commentario Arist. Metaph. XI. 9 concedit, de essentia dei eiusque actu semper fere adhibere Aristotelem vocabulum *ἐνέργεια*, at ex loco IX. 3. *ἐλήλυθε δ' ἡ ἐνέργεια τοὔνομα, ἡ πρὸς τὴν ἐντελέχειαν συντιθεμένη καὶ ἐπὶ τὰ ἄλλα, ἐκ τῶν κινήσεων μάλιστα· δοκεῖ γὰρ ἡ ἐνέργεια μάλιστα ἡ κίνησις εἶναι*, elucere ait, *ἐντελέχειαν* hanc vim habere: die Aktualität in vollendetem Dasein oder in vollendeter Wirklichkeit. Idem iudicat Bonitz, qui *ἐντελέχειαν* perfectum rei statum interpretatur. Metaph. XI. 3. Equidem sic statuo, *ἐνέργειαν* duplicem habere vim pro duplici ratione rerum. De anim. III. 7. *ἡ γὰρ κίνησις τοῦ ἀτελοῦς ἐνέργεια ἦν, ἡ δὲ ἁπλῶς ἐνέργεια ἑτέρα ἡ τοῦ τετελεσμένου.* Est enim apertum, de iis rebus, quae in motu versantur, promiscue nunc *ἐνέργειαν* nunc *ἐντελέχειαν* dici, quamquam in *ἐντελεχείας* notione finis, ad quem tendit motus, cogitatio inest, in *ἐνεργείας* autem notione nihil aliud, nisi actus, qui in motu est, significatio: de rebus autem aeternis absolutisque nusquam inveneris apud Aristotelem *ἐντελεχείας* usum, ratione sive notione ea, quae ad motum spectat, excepta, quae eadem *ἐντελέχεια* dicitur. Distingui autem debet actus, qui semet ipso contentus est, Eth. Nicom. VII. 14. *οὐ γὰρ μόνον κινήσεώς ἐστιν ἐνέργεια, ἀλλα καὶ ἀκινησίας*, ab altero, qui ad motum spectat: nam hoc sibi volunt illa verba loci a Schweglero allati *ἡ πρὸς τὴν ἐντελέχειαν συντιθεμένη* et IX. 8. *διὸ καὶ τοὔνομα ἐνέργεια λέγεται κατὰ τὸ ἔργον, καὶ συντείνει πρὸς τὴν ἐντελέχειαν.* Etenim res aeternae, quum fines earum rerum, quae moventur, sint, cum iisdem rationem ineunt atque haec quidem ratio *ἐντελέχεια* est. De anim. II. 4. *ἔτι τοῦ δυνάμει ὄντος λόγος ἡ ἐντελέχεια.* Quam differentiam non satis attendisse videntur interpretes, qui loco Metaph. XII. 8. *τὸ δὲ τί ἦν εἶναι οὐκ ἔχει ὕλην τὸ πρῶτον· ἐντελέχεια γάρ, ἐντελεχείας* nomine summam substantiam sive deum ab Aristotele appellatam esse arbitrantur. Ritter, Geschichte der Philosophie. Th. 3. S. 205. Zeller IV. 26. Bonitz, Comment. ad. Arist. Metaph. p. 512. Exploremus igitur locum explicatu difficiliorem. Metaph. XII. 8. *ὅτι δὲ εἷς οὐρανός, φανερόν. εἰ γὰρ πλείους οὐρανοὶ ὥσπερ ἄνθρωποι, ἔσται εἴδει μία ἡ περὶ ἕκαστον ἀρχή, ἀριθμῷ δέ γε πολλαί, ἀλλ' ὅσα ἀριθμῷ πολλά, ὕλην ἔχει· εἷς γὰρ λόγος καὶ ὁ αὐτὸς πολλῶν, οἷον ἀνθρώπου, Σωκράτης δὲ εἷς.*

τὸ δὲ τί ἦν εἶναι οὐκ ἔχει ὕλην τὸ πρῶτον· ἐντελέχεια γάρ. ἓν ἄρα καὶ λόγῳ καὶ ἀριθμῷ τὸ πρῶτον κινοῦν ἀκίνητον ὄν· καὶ τὸ κινούμενον ἄρα ἀεὶ συνεχῶς ἓν μόνον· εἷς ἄρα οὐρανὸς μόνος. Perspicuum est, Aristotelem ostendere voluisse, unum et notione et numero esse principium movens immobile, ex eoque, quod et notione et numero unum esset, consequi, ut unum esset coelum, id est, una rerum universitas. Sed qua ratione id demonstrat? Demonstrat nimirum ex unitate notionis, quae quidem notionis unitas *ἐντελέχεια* est. De anim. II. 1. *τὸ γὰρ ἓν καὶ τὸ εἶναι ἐπεὶ πλεοναχῶς λέγεται, τὸ κυρίως ἡ ἐντελέχειά ἐστιν.* Ac quoniam haec notionis unitas in singulis substantiis maxime conspicua est Metaph. VII. 7. *εἶδος δὲ λέγω τὸ τί ἦν εἶναι ἑκάστῳ καὶ τὴν πρώτην οὐσίαν* adfert Socratem, qui et notione et numero unus est. Metaph. VII. 7. *ὁ ἄρα Σωκράτης καθ' αὑτόν, τοῦτό ἐστι τὸ τί ἦν εἶναι Σωκράτει.* Sensus igitur hic est: ut Socrates, quamvis ex diversis partibus constans, propter notionis unitatem unus est, sic mundus, ex diversis partibus constans, propter notionis unitatem, qua continetur, unus est. Bonitz, quum non videret, quomodo haec verba explicanda essent, vulgatam lectionem depravatam suspicatus est. Sed in eo errasse videtur, quod putat, Aristotelem exemplo illustrare voluisse hanc propositionem: *ὅσα ἀριθμῷ πολλά, ὕλην ἔχει:* immo vero mundum unum esse hoc vult demonstrare; id ut efficiat, progreditur ad principium unitatis, quod facit, ut substantia singula, diversis partibus constans, una sit (*τὸ τί ἦν εἶναι οὐκ ἔχει ὕλην τὸ πρῶτον· ἐντελέχεια γάρ*). Nam hoc demum modo efficere poterat, ut unus esset mundus. Id si per materiam demonstrare voluisset, ex cuncta materia constare mundum ostendisset, ut dicit de coelo I. 9. Forma, quandoquidem multis communis est, qualitatem substantiae compositae significat, non substantiae ipsius notionem. Atque haec quidem causa est, cur Aristoteles hoc loco opposuerit *τὸ τί ἦν εἶναι τῷ εἴδει.* Sed quid inde consequitur ad *ἐντελεχείας* notionem constituendam? Nempe illud, quod Aristoteles de anim. II. 4. posuit, *τὴν ἐντελέχειαν* esse rationem sive notionem eius, quod potentia sit. Etenim tantum abest, ut is locus nostrae *ἐντελεχείας* interpretationi obstet, ut eam confirmet. Nam apertum est, hoc loco *ἐντελεχείας* nomine significari notionem mundi ex materia compositi, non essentiam dei ab omni corporis ac materiae concretione segregatam esse significatam. Nihil tamen impedit, quominus *ἐντελεχείας* nomine vinculum, quo universa rerum natura cum deo copulata est, designatum esse concedamus.

Schulnachrichten

von

Ostern 1849 bis Ostern 1850.



A. Allgemeine Lehrverfassung.

Prima.

Ordinarius: Professor Dr. Kampe.

1. Sprachunterricht.

Latein. Cic. pro Milone und Cic. de officiis lib. I. 3 St. Aufsätze, Exercitien und Extemporalien 2 St., der Director. Hor. Epist. lib. I. und Hor. de arte poetica 2 St., Dr. Kämpf. Zusammen 8 St. wöchentlich.

Griechisch. Sophocles Oed. Tyr. und Oed. Col. 2 St., der Director. Thucyd. lib. I. und II. 3 St., Exercitien und Extemporalien 1 St. Hom. Ilias VII. — XVIII. als Privatlectüre, Prof. Kampe. 6 St. wöchentlich.

Deutsch. Rhetorik und deutsche Litteraturgeschichte. Aufsätze. Prof. Kampe. 2 St. wöchentlich.

Hebräisch. Grammatik mit schriftlichen Uebungen nach Brückner. Die prophetischen Stücke aus Gesenius Lesebuch und das Buch der Richter, Prof. Könitzer. 2 St. wöchentlich.

Französisch. Ideler und Nolte, Th. 3. Exercitien und Extemporalien, Prof. Kampe. 2 St. wöchentlich.

2. Wissenschaftlicher Unterricht.

Religion. Im Sommer: Die Heilslehre des A. T. Im Winter: Das Prophetenthum des A. T., der Director. 2 St. wöchentlich.